

110. In hac questione enodanda, gens Calviniana, ipsa caelorum adyta perrumpit, & spretâ revelatâ DEI voluntate ad occultum arcane voluntatis DEI, & absolute prædestinationis ac reprobationis decretum se recipit, asserens eos infantes, qui in numero absolutè Electorum sint, beneficio regenerationis potiri: ita tamen, ut hoc illis non demùm ex Sacramento baptismi conferatur; verùm quia iam ante illius perceptionem sint in fœdere, & gratia DEI: Cæteros verò omnes, quos DEVS absolutâ sua voluntate, nullo habito respectu incredulitatis ipsorum, non modò ad damnationem, sed & ad damnationis causam prædestinavit, nullo unquam modo regenerari: adeò, ut si millies etiam baptismi tingantur, nihilò tamen magis inde regenerationis accipiant, quàm qui ad Ecclesiæ societatem nunquam accesserunt.

BEZA. Colloq. Montp. f. 460. Calv. l. 3. Inst. c. 23. § 4. & cap. 21, § 7. Beza vol. 1. Tract. Theol. fol. 417. Rennech. cat. aur. sal. f. 126.

111. Ex hoc impietatis fonte & illud dimanavit, quod vel auditum, ac lectum, piorum animis horrorem meritò incutit; ubi in eodem Colloquio BEZA sic disseruit: Probabiliter tantum fructu adoptionis infantes baptiza-